



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||

Grégoire, Pierre

[Frankfurt], 1595

VD16 G 2996

17 De indulgentiis & remissionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

R dicto ca. vidua honora, & ibi glo. 1. q. 2. A e
ut nec Ecclesia, canonicos plures, quam
suppetant facultates, recipere tenentur. ca.
omnes. de consecrat. dist. 1. c. 1. de institu-
tio. Nouella 3. Iustitia. ut determina. sit
numerus clericor. §. 1. & fin.

I ca. unum. §. alias, 2 §. dist. ca. pulcra, circa
medium. 86. dist. ca. non cogantur 41. di-
stinctio.

M ca. fratrem, & can. Dominus 36. dist.

CAP. VI.

Eleemosynarum vis.

Propter eleemosynas elargitas, †Deus
suspendit flagella: sicut & immittit,
quando pauperibus detrahuntur. **a** Quan-
do Eleemolyna fit intentione subleuandi
proximum, opus est misericordiae. Quan-
do vero intentione compensationis pro
debito diuinæ offensæ, est opus iustitiæ,
& est satisfactoria proprie, ut prior perti-
net ad meritum vitæ. **b** Habet Eleemosyna
præsentis vitæ & futuræ remuneratione. **c**
Redimuntur & ieiunia largitione Elee-
mosynarum, **d** & peccata, **e** quo fit, ut et-
iam indulgentiæ concedantur cum con-
ditione largiendi Eleemosynam, ad sub-
ventionem, vel hospitalis, vel ad auxilium
ædificationis loci pii, vel Ecclesiæ, quarum
indulgentiarum formam, normamque v-
niendi quæstorum, & modum, & eligendi:
ob vitandas impostorū circumcellionum
fraudes, tradidit cõcilium generale. **f** Pro-
sunt & iura hospitalitatis & eleemosynæ
peccatis mortuorum, & pœnis pro eis de-
bitis, si eorum nomine fiant. **g**

SCHOLI A.

a ca. reuertemini 16. q. 1.

b Angelus Clauas. in summa verbo eleemo-
syna. num. 11.

c quod multis sacra pagina probatur. In
principio 42. distinct. cap. 2. verba Aposto-
li 33. q. 5.

d ca. non cogantur, 42. distinct. capit. 2. de
maledic.

e ca. qui vult confiteri, de Pœnitent. dist. 6.

f ca. cum ex eo 14. de pœnit. & remiss. in-
no. ca. pen. eius. tituli de his, qui possunt da-
ri, & quatenus tales indulgentiæ repetun-
tur, & abusus quæstorum indulgentiarum,
& eleemosynarum, in Clemen. 2. de pœnit.
& in c. tuarum, 1. de Primileg. libro quin-
to. tit. 33.

g ca. non existimemus, & ca. anima defun-
ctorum, & ca. tempus, 13. quæst. 2. ca. sane
quod. 24. q. 2. ca. ab infirmis, 26. q. 7.

DE INDVLGENTIIS
& remissionibus.

TITVLVS XVII.

1 Tractatur titulo de Pœnitent. & remiss. libr. 4.
Decret. tit. 38. in Sexto lib. 5. tit. 10. can. hi qui. §.
sed exemplo. 50. dist. in Decret. de pœnitentiis, per
7. distinct.

CAPVT I.

1 Continuatio, & quid indulgentia geno-
raliter.
2 Et in specie.

Sed quia incidimus in indulgentias, non
alienum erit ab ordine & instituto cur-
su, de illis, quæ a iure pontificio tractantur,
præcipua capita tradere. Indulgentia ge-
neraliter nihil aliud est, quam remissio e-
ius, quod si non remitteretur, faciendum
esset. Proinde distinctio indulgentiarū, ex
earum tenore, causa & fine, quibus adhi-
bentur, metienda est: **a** sicque indulgentiæ
Ecclesiasticæ tantum valent & remittunt,
quantum sonant. **b** Eoque modo indul-
gentia, quos liberat, notat, nempe quod
ostendat, liberatos, pœnam a qua eripiun-
tur, meruisse. **c** Et ideo in indulgentiarum
remissionibus, mirum non erit, interueni-
re confessionem, & agnitionem delicti re-
mittendi.

Definietur itaq; indulgentia Ecclesia-
stica, ut sit remissio, a proprio iudice, seu
potestatem habente, concessa pœnæ debi-
tæ pro peccato, post contritionem & con-
fessionem de eo habitam. **d**

P

SCHOLIA,

- a** Huc referri possunt omnes indulgentiarum species, quæ pro diversis ponuntur, a Ioanne Andrea. in cap. fin. de pœnitent. & remissio. in Sex. ab Angelo Clauasio. in Summa in verbo indulgentia. Scripserunt & de indulgentiis Felinus Sandeus in fine sua lecture, Ioannes Franciscus de Pauinis in suis glossis, ad extrauagantem Clementis. §. incipientem, vnigeniti filii, &c.
- c** sicut dicitur in l. fin. de Genera. abortuum. lib. 9. C. titul. 43. & ita indulgentia, nisi in ea ita expresse dicatur, pœnâ quidem debitam, crimini remittit, & condonat, famam non reddit. l. in insulam, 6. l. generalis indulgentia, 7. l. cum indulgentia 10. l. si de portationis, 12. & sequen. de senten. pass. de restitut. lib. 9. C. titul. 1. aut nisi plenissima sit restitutio in integrum, quæ omnia in pristinum statum reponit. l. 1. C. de senten. pass. & restit. Simile dicitur de indulgentiis peccatorum Ecclesiasticis, quæ iuxta verba limitatum producunt effectum, quo nomine differunt a baptismo, in quo omnis lapsus restituitur in pristinum statum.
- d** colligitur ex c. quod autem consulisti, 4. de pœn. & remiss. lib. 5. cap. 38.

CAPVT II.

Diviso indulgentiarum, & de quibus fiant. Indulgentiarum quædam sunt plenariæ, pœnæ & culpæ: a quædam limitatæ. Illas solus summus pontifex concedit: istas etiam episcopi. **b** Sic indulgentiæ, quæ dantur pœnitentibus & confessis, visitantibus Basilicas diuorum Petri & Pauli, Romæ in Iubilæo, habent e veniam omnium peccatorum plenissimam, **d** a summis pontificibus ex Dei misericordia, & doctorum Apostolorum meritis concessam, **e** seruatis forma, & dierum numero, in visitatione faciendâ constitutis. Fuerunt & aliquando concessæ a summis pœntificibus, indulgentiæ plenariæ remissionis semel in vita, & semel in mortis articulo, sine exceptione

A criminum, quas restrinxit Paulus 2. & retinuit casus, in quibus etiam ex illis indulgentiis nemo alius, quam summus Pontifex posset absolueret. **e** Concesserunt & summi Pontifices aliquibus aliis Ecclesiis & locis, plenarias indulgentias. **f**

SCHOLIA.

- a** Indulgentia dantur pœnitentibus & confessis, Clem. vnic. circa si. de reliq. & venerabiliorum. c. 1. de pœni. & remiss. in Extrauag. communib. ubi glossa ad verbum, confessis, qui est, inquit vere pœnitens & confessus, habet veniam culpæ, quæ solus Deus in contritione remittit, quæ non datur nisi correcto, ca. peccati venia. de reg. iur. in Sex. & pœna aterna debita pro peccato mortali commutatur a Deo in pœnâ temporalem. Nam sicut culpa respectu eius, in quæ peccatum commissum est, fuit infinita: ita & pœna deberet esse infinita. Sed infinita tollitur per remissionem culpæ. Verum quantum remaneat, ignorat minister Dei, qui in pœnitentiæ sacramento, aliquam portionem illius pœnæ remittit, unde minister Dei post præmissa, arbitrat de pœna quam credit superesse, ad arbitrium suum: & ad eum modum intelligitur, quod dicimus, omnes pœnitentiis esse arbitrarias, can. tempora, 26. questio. 7. cap. questum, & sequ. de pœnit. & remission. Tanta tamen posset esse contritio confitentis, quod nedum culpa, sed pœna prorsus tolleretur. Verum, quia hoc ipsum dubium est penes homines, minister Dei, præsertim Vicarius Christi, successor D. Petri, istam pœnam certis de causis, ut in Iubilæo, & in voto ultra marino, & quibusdam aliis commutat in certos actus satisfactorios, &c. Quid operentur etiam iste remissiones fuisse Glossa ex diuersis sententiis prosequitur ad capit. quod autem, 4. ad verba, ut profint, de Pœnit. & remissionibus.
- b** De utriusque pœnitentiis, in capit. 3. §. ad hec, iuncta Glossa ad verba pœna & culpa de Pœnit, & remiss. in Clement.

c cap.

c. 1. 2. 3. 4. & 5. de pœn. & remiss. in extrauagantibus commu. ubi de anno Iubileo, qui ut dicitur in primo capite, olim erat post 100. annos. Postea vero ut dicitur in 2. cap. fuit post 50. annos, dehinc ut dicitur in 4. cap. fuit singulis 25. annis.

d. Plenissima est remissio in quantum & quantum clauium potestas se extendit. Sic glo. ad cap. 1. ad verbum, plenissimam, de pœnitent. & remiss. in extrauag. communibus scribit declarasse summum Pontificem in consistorio. Fuernit & plenaria indulgentia ob alias causas concessa, ut cruce signatis contra infideles profectis, quas examinat Ioan. Andreas, ad cap. ad liberandam, de Iudeis.

e. Casus illi cum restrictione probantur, cap. 3. & fin. de Pœnitent. in Extrauagant. communibus.

f. cap. quemadmodum, de Pœnitent. in Extrauag. communibus.

CAP. III.

Qui concedant Indulgentias.

D E V S indulgentiam peccatori cōuertenti ad se dat: a fitque remissio & absolutio peccati ab hominibus, per auctoritatem a Deo concessam. b Infinitum meritum passionis Christi, propter coniunctionem humanitatis cum diuinitate. c Ex cuius infinito thesauro, haurit summus Pontifex generales & plenarias indulgentias solus, quia & solus in plenitudinem potestatis est vocatus. d In suis diocesis Episcopi soli largiuntur indulgentias, e vt & Archiepiscopi in suis prouinciis, dummodo statutum generalis concilii non excedant. f Potest & certas speciales, legatus summi Pontificis, concedere, in prouincia sibi decreta. g Abbatibus aut aliis inferioribus, non licet indulgentias concedere, nisi speciali priuilegio, vel legitima consuetudine fuerint suffulti. h

SCHOLIA.

a can. facilius. §. 1. de Pœnit. distin. 1.

A b can. ita fit. 1. quest. 1.

c cap. 2. de Pœnit. in Extrauag. communibus.

d cap. cum ex eo, de Pœnitent. capit. quocunque 24. q. 1.

e cap. quod autem, de Pœnit. & remiss.

f cap. nostro postulasti certificari responso, 15. de Pœnit. concilium generale definit, in cap. 1. & 3. de Pœnit. & remiss. in Sext. & in cap. cum ex eo, 14. de Pœnitent. apud Gregor. ubi ne clauus Ecclesia contemnatur per indiscretas Pralatorum indulgentias, & ne pœnitenti alii satisfactio eneruetur, decernitur, vt cū dedicatur Basilica, non extēdatur indulgentia extra annum, & in anniuersario dedicationis tempore, vltra quadraginta dies, facit caput fin. de de Pœnitent. in Sex.

g Gloss. prima, in capit. penultim. de Pœnit. quia & legatus potest in prouincia sibi decreta statuta perpetua facere, capit. fin. de offic. leg. 1. de locat.

C h cap. Abbatibus, 13. de excessibus pralator. lib. 5. tit. 31.

CAPVT IIII.

Forma concedendi Indulgentias.

I N D U L G E N T I A a summo Pontifice conceditur, verbo, literis, & qualibet scriptura, cum clausula, quod sola signatura sufficiat, etiam in fauorem fidei. a

SCHOLIA.

a cap. fin. de pœnitent. in Extrauagant. communibus.

CAPVT V.

Quis fruatur utilitate indulgentiarum.

C O N C E D U N T U R indulgentiæ idoneis & dispositis ad eas suscipiendas: cuiusmodi sunt, qui membra sunt Ecclesiæ, Christiani: quia aliis thesauros suos Ecclesia non distribuit. a Dehinc vero pœnitentibus, qui sunt vere purgati a culpa, qualis est contritus & confessus. b Sed si is, qui vere pœnitens & confessus cœpit peragere, quæ præscripta sunt indulgentiis, & morte præuentus nō potuit perficere, re-

missionem consequitur secundum illas. **A** Et qui cœpit venire, nō potuit autem peruenire, morte vel alio impedimento præuentus, ad locum vbi implendæ sunt indulgentiæ. *c*

S C H O L I A.

- a** *can. nihil sic debet 1. questio. 3. & can. si quis a Catholica, vicesimasertia, questio. quarta.*
- b** *cap. 1. de pœnitent. & remiss. in extrauag. communibus, Clem. unica, circa finem, de reliq. & ven. San.*
- c** *Gloss. ad cap. 1. ad verbum confitebuntur, circa finem, de pœnitent. in extrauag. communib. sic declaratum fuisse a Summo Pontifice tradit. Facit in argument. l. cum heres, §. si Sty chius, in 1. de Stat. lib. l. fin. C. de condit. incertis, quia per impedimentum non stetit quominus perfecit, qui sine culpa sua impeditus est. Et hoc ita postea expresse cautum fuit a Clemente Sexto, in cap. 2. de Pœnitent. & remiss. in Extrauag. communibus.*

C A P V T V I.

- 1 *Causa*
- 2 *Et effectus indulgentiarum.*
- 3 *In merito Christi.*
- 4 *Per quem fit remissio.*
- 5 *Ratio indulgentiarum.*
- 6 *Ad qua peccata pertineant.*

Causæ, ob quas præfules Ecclesiæ ¶ indulgentias solent concedere, diuersæ esse possunt, vel spirituales vel corporales. Spirituales, veluti, vt peccatis absoluti, orent pro conuersione infidelium, pro pace Christianæ fidei. *a* Et sanctificent sanctius diem alicuius festi, puta cōceptionis beatissimæ virginis Mariæ, vel Euchraistia. *b* Corporales possunt esse, in dedicationibus Ecclesiarū, vt incitentur ad elemosynas largiendas eidem Ecclesiæ adificandæ, *c* ob restorationem pontium, *d* ad sustentationem egenorum vel confluen-

tium ad hospitale, *e* vel ad excitandam deuotionem visitado certas Basilicas, vt Romæ sancti Petri & Pauli. *f*

Et hic notant Theologi, ¶ quod nisi quis id faciat, pro quo dantur indulgentiæ, nullo modo eas consequatur, quantumcumque habeat bonam voluntatem: licet consequatur meritum bonæ voluntatis. *g* Indulgentia tamen, quantum ad augmentum gratiæ & gloriæ, tantum valet, quanta est interna deuotio suscipientis, & non plus: quantum vero ad remissionem pœnæ debitæ in purgatorio, vel impositæ a sacerdote in pœnitentia, indulgentia tantum dimittit, quantum, vt dixi, sonat, dummodo homo faciat, quantum illi imponitur, & modo quo oportet illum facere. *h*

Fit autem remissio ¶ per applicationem meriti Christi, auctoritate & potestate ab illo concessa, & ita solus Christus, *i* & Spiritus sanctus quem donauit fidelibus suis, *k* peccata remittit. Et gratia Christi nos iustificat. Ministeriū vero & dispensatio mysteriorum Christi, & absolutionis concessa est prælatis. *m* Neque hic remissionis indulgentiæ causa efficiens est meritum pœnitentis, nec quantitas operis: sed genus operis & gratia Dei. *n*

Itaque remittitur ¶ culpa effectiue per **D** solum Deum, sacramentaliter, per sacramentum pœnitentiæ. Et ministerialiter, per ministerium debitum Ecclesiæ. *o*

Ratio quoque generalium ¶ Iubilæi indulgentiarum, adfertur ex Iubilæo legis Moïsi, quo post quinquaginta annos quilibet redibat ad sua, & exules reuocatione generali quoque. *p* Est & alia ratio, consistens in salute populi, quæ peccatorū sarcina opprimitur, quæ remissione releuatur, sequiturque vtilitas publica reuocare pereuntes. *q*

Cæterum effectus indulgentiarū ¶ non **E** extenditur ad peccata post tempus indulgentiarum commissa, nec ad commissa post iter peregrinationis acceptum, sed *adea*

ad ea quæ ante. r At pœnitentiæ antea A n
iniunctæ tolluntur etiam per commuta-
tionem operis satisfactorii in indulgentiis
positi. s.

S C H O L I A.

- a *Vi in capitulo unico, §. de Celebrat. Missarum, in Extrauagant. communib.*
b *Clement. unic. de reliq. & vener. Sanctorum, cap. primo, eodem titulo in Extrauag. communib.*
c *cap. 1. de Pœnitent. & remiss. in Sex.*
d *cap. quod autem, 4. de Pœnit. & remiss.*
e *cap. cum ex eo, 14. de Pœnit. & remiss. capit. fina. eodem tit. in Extrauagant. communib.*
f *cap. 1. de Pœnit. in Extrauag. communib.*
g *Lib. 4. Sententiarum, distinct. 20.*
h *Angelus Clauas. in Summa in verbo indulgentia, numero 2. vide Diuum Thomam, in quartum Sentent. dist. 20. Sic dies vel anni remissionis pœnitentiis impositis a Canone vel sacerdote totidem dierum, ut in Clem. unica, in fine, de reliq. & vener. Sanctorum.*
i *Can. nemo tollit, de Consecra. distinct. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Diui Ioan. Euang. cap. 1. vers. 36. Daniel. 9. vers. 24. D. Matthai, 1. vers. 21. & c. 9. vers. 2. & D. Marci c. 2. vers. 5. D. Luca, cap. 24. vers. 46. Actorum secundo, vers. 38. & c. 4. vers. 12. ad Colosens. cap. 1. vers. 14. ad Ephesios 1. vers. 7. 1. ad Timoth. c. 1. vers. 15. cum simil. vulga. Peccata nemo potest dimittere propria potestate, nisi solus Deus, D. Luca, cap. 5. vers. 9. & 26. dimitunt & alii sacerdotes potestate per Deum concessa. D. Matthai, cap. 18. vers. 18. & D. Ioan. c. 20. vers. 23.*
k *can. ut euidenter, 1. quest. 1. 1. ad Corinth. 6. vers. 21.*
l *can. gratia, can. placuit, ut quicumque. can. penul. & fin. de Consecratione, distinct. 4.*
m *can. omnes, 17. quest. 4. can. 1. 26. quaestione sexta.*

- Vide Gloss. ad cap. 1. de Pœnitent. in extrauag. communib. ad verbum Confiteantur. Vbi & disputatur quæ requirantur in Indulgentiis. Neque etiam esset remissio, si perpenderetur opus & meritum pœnitentiis, sed potius redemptio vel pœna commutatio, argum. l. 1. de contrah. emt. P. cum remissio sit eius, quod solui non potest, vel eius quod pro soluto habetur.*
o *Sic tradit dicta Glossa, cap. 1. ad verbum confiteantur, de Pœnit. in Extrauag. communibus.*
p *cap. 2. de Pœnitent. in Extrauag. communib. de Iubileo, in cap. 25. Leuitici. & de liberatione & reductione profugorum, morte summi sacerdotis, Num. cap. 35. & Iosue capit. 20.*
q *cap. quemadmodum, 4. & cap. fin. de Pœnit. & remissionibus, in Extrauag. communib. tanto enim sunt grauiora peccata, quanto diutius detinent animam alligatam, cap. fin. de consuet. cap. cum in Ecclesia corpore, de Simonia.*
r *Argument. cap. ex parte, de consuetud.*
s *Glos. in cap. 1. de pœnitent. & remissionibus, in extrauag. communib. vbi & vota etiam sine alia impositione pœnitentiæ, quam habeant indulgentia, commutari dicunt, excepto voto peregrinationis Hierosolymitana & religionis, qua tangunt detrimentum tertii, contra si non tangant, capit. 4. de pœnit. in extrauag. communibus.*

D E I E I V N I O.
T I T. XVIII.

Tractatur titulo, de obseruatione ieiuniorum, libro 3. Decretal. titulo 46.

C A P V T I.

- 1 *Continuatio.*
 - 2 *Ieiunii acceptio & diuisio prophani.*
 - 3 *Diuisio sacri.*
- I**ndulgentiæ proxime explicatæ postulare videntur, vt consequenter agere-